

Rostocker Universitätsstatuten des Jahres 1563

Prima lex

Unus est omnipotens, aeternus, et verus deus conditor et conservator omnium rerum, et ecclesiae angelorum et hominum: Inspector et iudex omnium consiliorum et actionum nostrarum: videlicet aeternus pater, filius, et spiritus sanctus, qui se patefecit ecclesiae suae, tradita certa doctrina legis et promissionis de Christo, in libris prophetarum et apostolorum scripta, et additis illustribus testimoniis miraculorum confirmata, iuxta quam solam vult a nobis agnosci, invocari et coli. Primum igitur vobis praecipimus, ut hunc omnipotentem, aeternum, et unum deum, patrem domini nostri Iesu Christi, patefactum in verbo ecclesiae tradito, recte agnoscere, vere timere, vera fide invocare, confiteri, et omnibus pietatis officiis venerari et colere studeatis: Et omnia idola, et cultus impios toto pectore aversemini et fugatis. Cumque doctrina de vera dei agnitione et cultibus ipsi praestandis, libro certo seu bibliis sacrosanctis comprehensa sit: Et scholae nostrae, imo ecclesiae et politiae omnes eam ob causam praecipue a deo institutae sint et conserventur, ut bibliothecae sint doctrinae a deo traditae, et huius libri lectionem, interpretationem, et custodiam sibi commissam, fideliter tueantur: praecipimus scholasticis, ut singulis diebus labores studiorum a lectione capituli in bibliis, et a pia precatione inchoent, ordine, diligenter et attente librum divinum legant et discant: doctrinam in eo traditam firma fide amplectantur. Et vero timore ac dilectione dei omnia vitae consilia et actiones regant, et ad hunc finem sua studia et vitam universam referant, ut deum honore et gloria afficiant et celebrant: sicut honestissime in veteri etiam versu praecipitur: Archäm[...] hapantom[...] ki telos poiej theom.[...] Huic legi severissimam comminationem poenarum adversus inobedientes, et dulcissimam promissionem praemiorum erga obedientes, a deo ipso additam meministis. Exod[us]: 20: Ego sum dominus deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem partum in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me: et faciens misericordiam in millia, his, qui diligunt me, et custodiunt praecepta mea.

Secunda lex

Ut deus ipse habitat, et lucet in cordibus nostris, cum praelucente vera in Christum fide, obedientiam primo praecepto debitam inchoamus, et deum recte agnoscimus, timemus et diligimus, ita oratio etiam nostra, animi character, et cordis interpretis esse. Dominum deum pia sonare, et praedicatione verbi ac confessione illustri, aliis hominibus ostendere, nomen dei celebrare, et cum voluntate dei in corde lucentis congruere debet. Severe igitur prohibemus,

ne nomen domini dei nostri vane usurpetis, vel in epicureis sermonibus spargendis, vel corruptelis verae evangelii doctrinae pertinaciter defendendis, vel in magicis praestigiis et incantationibus, aut iniustis execrationibus, et periuriis. Non praetexite nomen dei religionis, evangelii privatis cupiditatibus, ambitioni, avaritiae, odiis, livori etc. Nec scandalis doctrinae vel morum deformato professionem, ne nomen dei nostri, et ecclesiae ac scholae, sonantis verae doctrinae vocem, propter vos male audiat, et blasphemetur, sed domini dei nostri nomen pie et reverenter et assidue invocate, et clara voce, ac illustri confessione, et gratiarum actione celebrate: et verbum ab ipso traditum singuli suo loco apud alios homines sonent, et propagent, et nominis divini ac doctrinae contumelias refutent. Promissa etiam vestro magistratui, rectori, et aliis data, et iureiurando confirmata, fideliter servate. Est enim iuramentum, invocatio veri dei, qua petimus, ut deus sit testis, nos vera dicere, et severissime puniat mentientes. Praestant autem rectori academiae singuli scholastici iuramentum, in quo deo teste invocato, promittunt obedientiam, tum in caeteris rebus honestis, tum vero nominatim, si iussu rectoris in iudicium vocentur, vel propter delictum aliquod ex hac urbe, intra certum diem descendere iubeantur. Quare periuri et infames censentur, qui citati in iudicium non veniunt, aut sententiae iudicii rectoris parere contumaciter detestantur. Et in primis, qui decreto rectoris, quod graeca voce *aresom*.^[ai] *arestum* nominamus, retenti, seu vadimonio obligati, ignorante aut non concedente rectore descendunt. Hae iuramenti violationes, non tantum quia iurisdictionis politicae nervos incidunt, verum etiam, quia nomen domini nostri contumelia afficiunt, severissime a magistratibus, et a deo etiam ipso puniuntur, sicut ipse inquit: Non erit impunitus, quicumque nomen dei vane usurpaverit.

Tertia lex

Sabbatum sanctificate: et diem dominicum, quem apostoli ipsi publico ministerio docendi evangelii, et exercendis ceremoniis divinitus institutis destinarunt, tribuite audiendis concionibus, et publicae precatiōni in templis, et gratiarum actioni, et similibus sanctis operibus, seu proprie deo dicatis, quae ad veram agnitionem et invocationem dei, et ad animarum nostrarum salutem immediate pertinent, et quibus deus immediate colitur et honore afficitur. Et omnes labores, ac ludos omittite, qui a ministerio publico homines abducunt. Veneramini ministerium evangelii, et ministros fideles, per quos deus aeternam sibi ecclesiam ex genere humano colligit, et omnia sua beneficia, et aeternam salutem nobis impertit. Ut autem deus ipse severissimas poenas, et in Ieremia excidium toti regno propter violationem sabbati minatur: sic propter ministerium docendi, ac ut hospitia sint ecclesiae, et bibliothecae doctrinae coelestis. Deus politias, et imperia praecipue instituit, et servat: ita nos quoque si

quem deprehenderimus, diebus dominicis non solere ad concionem evangelii, et congressus in templo publicos accedere, et ministerium verae de deo doctrinae, in ecclesia nostra sonantis contemnere et aspernari, si admonitus non se emendabit, puniemus eum vel carcere, vel ignominiosa exclusione. Hortamur etiam magistros, qui praesunt regentiis, et alios, quibus adolescentum erudiendorum cura commissa est, ut eos ad venerandum ministerium, et audiendas conciones, et ad cerebrum usum coenae domini ac communem precationem ecclesiae, in templo congregatae una faciendam, serio adsuefaciant et impellant.

Quarta lex

Parentes vestros et praeceptores honore afficite, et agnoscite deum consociationis hominum, oeconomicae et politicae authorem esse: et personas parentum, praeceptorum et magistratum vestrorum a deo ipso vobis praefectos esse, et deum contumaciae vindicem fore: ideo propter deum authorem reverenter vos eis subiicite, et obedite, et gratitudinem debitam praestate. Cumque ordo politicus seu distinctio personarum, quae regunt et reguntur: et leges, quae sunt regulae morum, et vincula et nervi societatis politicae, et legitima iudicia, poenae delinquentium et defensio recte facientium, a deo ipso instituta sit et conservetur; et divinae sapientiae, bonitatis, iustitiae, et praesentiae dei inter homines testimonium sit, non dubitetis vos deo ipsi obedire, et cultum gratissimum praestare, cum praeceptoribus vestris et magistratibus scholasticis, et legibus honestis, quibus ordo gubernationis, et iurisdictionis, ac obedientiae et officii praeceptorum et auditorum in hac academia comprehensus est, pie obeditis. Sunt autem haec leges sapienti et gravi antecessorum nostrorum consilio, additae quarto praecepto, et ad huius academiae et urbis conditionem accommodatae, ut adminicula servandae et exequendae in hac schola et obedientiae magistratibus, praeceptoribus et auditoribus in quarto praecepto divinitus mandatae, essent.

Primo constitutum est, ut in hac urbe Rostochiensi unum sit academiae corpus, constans ex quatuor facultatum theologiae, iurisprudentiae, artis medicae, et philosophiae collegiis: cuius corporis unum caput sit rector academiae, habens in omnia universitatis membra peculiarem, et distinctam a senatu urbis iurisdictionem, iuxta normam privilegii foundationis, et academiae leges.

Secundo: Rector academiae nomina eorum, qui ad academiae iurisdictionem pertinent, in publico libro perscripta teneat: quicumque, igitur in urbem studiorum gratia venerit, et academiae membrum esse volet: nomen suum apud rectorem edeat, et iureiurando promittat

se magistratui, et legibus academiae parere, et in primis nervos iurisdictionis nostrae, in vadimonio non deserendo, et praestanda sententiis iudicii obedientia, reverenter tueri velle. Nec inscriptionem ultra dies octo, post suum in hanc urbem ingressum, quisquam differat. Nemo etiam magistrorum recipere in habitationem, multo minus promovere ad gradum aliquem officii non inscriptum audeat.

Tertio: Cum multi adolescentes nomen suum professi apud rectorem, et titulo scholasticorum se venditantes: tamen nullas publicas lectiones audient, nec ullas artes honestas discant; tales, si admoniti non se amendabunt, in patriam, vel ad parentes ex academia relegentur.

Quarto: Cum deus velit rudem et infirmam aetatem, auctoritate docentium, legeum, et magistratum regi, et in officio contineri: domus certae, seu collegia octo in hac academia a maioribus nostris instituta sunt, in quibus habitare studiosos omnes et praeceptorum, qui domibus praefecti essent, consilio et doctrina institui, et auctoritate regi, nocturne praesertim tempore domi cohiberi voluerunt. Quod maiorum nostrorum institutum cum propter multas graves causas, anno superiori peculiari quodam mandato a senatu academiae publice proposito renovatum sit, nunc iterum renovamus: et a studiosis servari serio mandamus. Praecipimus igitur [...] inspectoribus collegiorum academiae, ut muneris sui officia fideliter faciant, et paterna fide, ac humanitate, adolescentibus discendi cupidis certam recte et utiliter discendi viam et ordinem ostendant: et quas lectiones publicas, suo profectui convenientes audire debeant, amice moneant. Ac ut a nocturnis discursationibus et periculis vitae ac famae studiosi arceantur, vesperi hora nona domos claudant. Nec exercitiis suis in horas inusitatas collocates, ullas lectiones, aut actus publicos impediunt vel interpellant. – scholasticis etiam, qui in domibus academiae habitant praecipimus ut gratis et cupidis animis, hanc praeceptorum fidem et diligentiam amplectantur, et reverenter tum in discendi ratione et studiorum exercitiis, tum in moribus honeste regendis obtemperent. Nam qui contumaciter auctoritatem praeceptorum detrectabunt, aut alias improbis moribus polluti erunt, ex aedibus academiae eicientur: nec apud quemquam ex professoribus receptum habebunt.

Quinto: Veteri huius academiae more adiungitur rectori, generalis promotor et superintendens, qui omnes academiae partes, omnium professorum et auditorium studia, officia, mores, et actiones diligenter inspiciat, et curet, ut cum norma legum academiae congruent. Itaque veteri statuto cuilibet studiosorum concessum est, promotori vel etiam rectori denunciare, si quem ex professoribus, vel regentiarum praefectis officium suum praetermittere, raro aut

negligenter legere, exercitia disputationum, declamationum, et alia non obire, vel malis exemplis morum, iuventuti nocere sciat. Nec nomen denunciantis cuiquam indicari sinat.

Sexto: Cum in omni vita, et praecipue in publicis congressibus ordinem honestum servari deceat: constitutum est, ut in renunciatione testimoniorum seu graduum, et aliis actibus publicis, rector academiae, doctores theologiae, iuris, et artis medicae, secundum ordinem facultatum, ad dexteram cathedrae sublimioris: ad sinistram decanus collegii philosophici, et professores liberalium atrium consideant, eo ordine, quo in collegium professorum singuli recepti sunt. Professoribus in eadem serie proxime assideant concionatores et ministri ecclesiae. E regione vero ad dexteram cathedrae borealis, magistri liberalium artium, qui non sunt professores, loca habebunt, quae singulis tempora promotionum attribuent. Baccalaurei vero superiorum facultatum, theologiae, iuris, et medicinae, vel ad sinistram cathedrae borealis, vel in altero latere post magistros philosophiae sedebunt.

Septimo: Cum in hac academia omnes artes ad veram dei agnitionem et aeternam salutem, et ad gubernationem vitae comunis, et honores amplissimos in repub[licam] aditum patefacientes summa fide et diligentia scholasticis tradantur, iustum est vicissim auditores huius academiae tanquam matris almae, honorem et dignitatem pie de ea sentiendo et loquendo et honeste vivendo conservare. Nec praeceptoribus suis, in primis magnifico domino rectori et caeteris professoribus maledicere, et sua voce et exemplo aliorum contumaciam et ingratitude confirmare. Obedire etiam tum caeteris legibus academiae, tum vero edictis, quibus ad publicos actus, declamationes, disputationes, et funera scholastici convocantur, quibus perpaucos plerumque interesse videmus. Prohibemus etiam severe, ne quis chartas publice affixas, quibus vel edicta rectoris, et senatus academiae, vel disputationum materia, vel significationes professorum de lectionibus, aut aliis negotiis continentur, iniussus refigat.

Octavo: Cum in hac urbe iurisdictiones senatus urbis et academiae distinctae sint, iustissimum est alterum alterius ope iuvari, et defendi, non turbri vel infringi. Ea de re plura sunt huius academiae statuta vetera, quibus suam auctoritatem et vim relinquimus inviolatam. Eorum haec est sententia. Nullum membrum universitatis cuiuscumque, conditionis, status, aut dignitatis, causa exorta etiam qualibet inter eum, et quempiam huius urbis civem, sive ex oppido, sive ex senatus Rostochiensis territorio sit, adversarium suum citet, aut evocari sollicitet ad tribunal aliud, quam consulare, salvo tamen rectoris et universitatis privilegio, nisi senatus distulerit, ultra duos menses iustitiae administrationem actore invito, quo eveniente,

coram episcopo archidiacono loci, aut eius ordinario agi poterit. Quod statutum violans poenam periurii incurret ipso statim facto, et causam quam habet consimiliter amittet.

Quinta lex

Vult deus officia iustitiae neminem laedentis. Et suum cuique, tribuentis religiose a nobis in hac civili societate coli et exerceri: et iniuste laedentes aliorum corpora et vitam, et turbantes pacem publicam severe puniri, eam ob causam praecipue, ut dei ipsius iustitia in genere humano luceat et conspiciatur, et nostri mores cum ea congruant: Ac ut societas hominum incolumis et tranquila conservetur, propter hunc finem, ut in pace, vera de deo doctrina disci et late spargi, et mores hominum iuste regi possint: Quare propter deum, et publicae pacis conservationem ab omnibus iniuriis, vi vel fraude aliorum corpora et vitam laedentibus, a seditiosis tumultibus, aedium oppugnationibus et caedibus abstinete: nec indulgete odii, livori et cupiditati vindicatae, quae saepe homines tristissimas calamitates sibi et totis gentibus attrahunt. Ut autem publica tranquillitas firmitus munita sit, et occasiones caedium et tumultuum vitentur, severissime prohibemus gestationem armorum quorumcumque, et in primis tormentorum aencorum, quae bombardas nominant. Quod si quis in civitate globum plumbeum noctu praesertim eiaculatus fuerit, is sciat, se hoc ipso facto in relegationis poenam incurrisse. Similem poenam denunciamus petulantibus, kai thrasydejlois grasatoribus, qui ex provocatione privata inter se, vel intra moenia, vel extra oppidum confligunt, et qui alios ad dimicandum provocant, vel domo evocant, et qui provocati confligunt cum provocantibus. Quid enim interest (ut Tertulliani verbis utamur) inter provocantem et provocatum, nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur: at ille posterior. Tamen uterque laesi hominis domino reus est, qui omne nequam et prohibet et damnat. Severissime etiam prohibemus omnes discursationes et clamores ac tumultus nocturnos: qui non solum moribus et valetudini adolescentum nocent, et quietem aliorum praesertim agrotorum, senum, puerperarum, quibus in mediis bellis parci solet, peturbant: verum etiam alioqui propter multos casus periculi plenae et in pacata civitate certe nullo modo tolerandi. Magistros etiam qui privatim docent, et praefectos regentiarum hortamur, ut in suo officio vigilantes sint, suae fidei commisos domi noctu contineant: Et constituta hora nona domos claudant, nec vel diutius eas patere, vel semel clausas rursus ea nocte aperiri sinant. Quod si qui post horam nonam ad fores aedium tumultabuntur; et vel fores effringere tentabunt, vel fenestras elidere, horum petulantiam carcere, vel aliis severioribus poenis coercebimus. Ut enim in templis, ita in scholis timor dei, modestia, et tranquillitas summa lucere et conspici, non tamquam in cyclosum agmine, aut diabolorum lustris latrocinia exerceri debent.

Sexta lex

Haec est voluntas dei aeterna et immutabilis, sanctificatio seu castitas vestra: ut in vera agnitione et timore dei retineatis mundiciem animi et corporis, cum voluntate dei congruentem: et abstineatis a scortatione et omnibus libidinibus a deo prohibitis: Ac ut unusquisque vas seu corpus suum, quod est domicilium casti et sancti spiritus dei, vel in coelibae vita, vel in iusto coniugii foedere possideat in sanctificatione et honore, hoc est, castum et sanctum servet, nec polluat se libidinibus vagis, sicut gentes ignarae voluntatis divinae sibi impune permiserunt. Cum enim omnes templum dei simus, ut Tertulliani verbis utamur, illato in nos et conservato spiritu sancto, eius templi aedituus et antistes pudicitia est, quae nihil immundum et profanum inferri sinat, ne deus ille, qui inhabitat inquinatam sedem offensus derelinquat. Ut igitur deus est mens pura et casta expers omnis labis et maculae, ita nos quoque vult sibi conformes esse, et casti pudoris decus reverenter tueri: et horribiliter odit et aversatur, ac punit omnes libidinum sordibus inquinatos, ut plurima scripturae dicta, et universa totius mundi historia, huius divinae voluntatis, et irae adversus libidines testimonium est. Ac in poenis diluvii, Sodomorum, Beniamitarum, et aliis, ideo asserpta est causa vagarum libidinum, ut sciremus caeteros etiam spurcitiae morum pollutes, non casu, sed a deo irascente et puniente impudicitiam, tetrus calamitatibus et poenis obrui. Quarum haec omnium tristissima est, quod lucem divinam et hereditatem regni dei amittunt, et caecitate spirituali puniuntur, de qua [ad] Eph.[esios] 4 dicitur: Alieni sunt a deo, qui se dediderunt lasciviae propter caecitatem cordis. Et quantacumque sint ingenii doctrinae vel eloquentiae dona: tamen nisi castitatis decus accedat libidinum fama, omnium bonorum animos alienat. Propter has gravissimas causas praecipimus vobis, ut castitatem, sine qua deum nemo videbit, et verecundiam ac pudorem in omni vita sectemini. Ac ut casti pudoris decus retinere possitis, sobrietatem et temperantiam, quae castitatis nutricula est, diliquenter colite. Occasiones etiam libidinum et intemperantiae, videlicet tempora, personas et loca, quae viam delinquendi praebent, studiose vitate. Itaque vetus statutum repetimus, quo severe interdicitur scholasticis ne in cauponas publicas, in quibus cerevisia aut vinum venditur, noctu praesertim ingrediantur. Nemo etiam in domos, ubi nuptiae celebrantur, non vocatus irrumpat, et ordinem sacri nuptialis et chorearum, et tranquillitatem hospitem turbet. Qua de re saepe ad nos querelae a civibus delatae sunt. Quare praemonendos auditores nostros duximus, ut sciant in senatu academiae decretum et praefecto carceris mandatum esse, ut quoscumque larvatos vel alios, qui non invitati in domos nuptiarum irruunt, deprehensos, recte in carcerem abducant. Severe etiam prohibemus omnes larvatas discursationes sive diurnas sive nocturnas quocumque anni tempore. Indignum est enim iis, qui musarum, omniumque virtutum sunt

cultures, orgia bacchi stulta et insana imitari, et omnes graves et honesti homines, hanc levitatem et imodestiam, quam etiam lex divina prohibet, execrantur. De vestitu honesto a scholasticis usurpando tanta cura et sollicitudo fuit primorum huius academiae gubernatorum, ut iuramento scholasticorum inseruerint mentionem habitus honesti iuxta statutum, quod praecipit, ut singuli scholastici toga undique, clausa, et usque ad talos, vel certe infra genua demissa utantur. Tali toga cum omnes cives honesti in hac urbe ante paucos adhuc annos usi sint: multo magis scholasticos decebat, etiam in vestitu, modestiae et pudoris, et gravitatis exemplo aliis illiteratis praeire. Sed hi nunc instar viatorum, vel militum Graecorum, pallia humeris iniiciunt. Quae cum a romanis iuvenibus, neglecto veteri Romanorum cultu, usurpari Augustus videret, longa oratione eos ad veterem togarum usum revocavit, citato etiam Vergilii versu: Romanos rerum dominos, gentemque togatam. Hortamur igitur et oramus scholasticos, ut dei, et sanctorum angelorum, et omnium honestorum hominum oculos et iudicia vereantur, et vel togis, vel aliis vestibus infra genua demissis, cum in aliorum conspectum prodeunt, utantur. Et cum Christi nomen et doctrinam profiteantur, in cultu corporis etiam exemplum Christi potius, quem longa veste indutum fuisse accepimus, quam prophanorum militum mores imitentur.

Septima lex

Mirando consilio deus bona ad huius vitae conservationem pertinentia varie et inaequaliter inter homines distribuit, ita ut singuli aliorum ope indigeant, et hac indigentia, et communicatione rerum mutua homines inter se devincti et colligati, in coetu et frequentia simul vivant, et inter se mutuo alii aliis bona sua legitimis rationibus impertiant et opitulentur, et simul doctrinam de deo et exempla dilectionis, iustitiae, misericordiae, beneficentiae, et aliarum virtutum ostendant. Agnoscamus igitur dei voluntate, et sapientia miranda hunc ordinem sancitum esse, ut singuli proprias facultates possideant, et suum teneant, et ab alieno abstineant, et per legitimos contractus aliis res suas communicant, et in his colant aequalitatem et iustitiam. Quare in timore dei, et fide ac bona conscientia res proprias tenete et custodite: et agnoscentes eas a deo dari, honestis rationibus augere, et ad usus deo placentes conferre studeatis. Cumque piis praecipue scholasticis familiare onus sit paupertas, sicut in Sophonia dicitur: Reliqui mihi in medio vestri populum pauperem et egenum et sperantem in nomine meo: Scitote virtutem deo gratissimam et vobis salutarem esse, ut autarkejs seu contenti praesentibus bonis victu et amictu sitis, et placide paupertatem et alia incommoda, quae inopiam comitantur, feratis: et honesteis laboribus, et fide ac diligentia in studiis et omnibus officiis peniam effugere studeatis, ut Paulus inquit estin de porismos megas hä

eusebeja meta autarkejas. Nemini igitur furto res suas auferte, nec alios defraudate. Haec enim est voluntas dei, ne quis decipiat aut defraudet in negotio fratrem suum. Quia vindex est dominus de his omnibus. Nec tantum ea, quae vulgo nominantur furta, et exclusionem vel laqueo puniuntur, verumetiam profusiones et sumptus non necessarios in helluationibus, conviviis, in luxu vestium, et similibus ineptiis. Item mutationes temerarias, emacitatem, et similes rei familiaris pestes vitate. Nam de mutationibus verissimum est, quod Chilo dixit: Comitem aeris alieni esse, miseriam. Et regulariter, qui libenter accipiunt mutuo, non libenter solvent. De emptionibus vero Cationis praeceptum mementote. Emas, non quod opus est, sed quod necesse est. Ut igitur et creditoribus, quod mutuo ab illis sumpsistis, et pretium pro emptis mercibus, et hospitibus in primis vestris, quicquid pro victu, et habitatione illis debetur, fideliter et tempestive solvatis, hac dei voce. Non furtum facies: severissime vobis praecipitur scitote. Ac patribus familias, civibus, et aliis, qui victum vobis in hac rerum omnium difficultate praebent, singulis mensibus solvi aequissimum, et tenuioris fortunae oeconomicis necessarium est. Locarium, qui in aedibus academiae habitant, singulis sex mensibus praefectis domuum pendant, ut parietes intra quos veram de deo et domino nostro Iesu Christo doctrinam quotidie auditis, sarti et recti servari possint. Postremo, omnes ludos inhonestos tesserarum, aleae, chartarum, et similes prohibemus. Ac ut in furto deprehensi restituere furto ablata coguntur, ita qui ludendo aliorum pecuniam, aut libros ad se transtulerunt, reddere eos alteri, et praeterea ambo pariter de rectoris sententia puniri debebunt.

Octava lex

Vere dixit Plato: Veritas omnium bonorum causa est, deo et hominibus. Nam et deo gloriam debitam tribuit, vera ipsius agnitio et celebratio. Et ecclesia ac resp.[ublica] veritate doctrinae de deo, legum, iudiciorum, pactorum, quasi fundamento quodam sustentatur. Et in privata hominum vita, in omnibus negotiis, contractibus, in tradendis artibus vitae necessariis. Denique in omni sermone, nisi vera, hoc est, cum rebus ipsis, et animis nostris congruentia dicantur et fiant, nihil recti geri, imo ne quidem conservari vita hominum potest. Has utilitates veritatis ideo deus tam late sparsit, ac, ut veraces simus, severissime praecipit: quia vult se verum deum, ac essentiam et voluntatem suam in lege et evangelio patefactam vere a nobis agnosci, et omnes falsas opiniones et a norma verbi divini discrepantes reiici et repudiari: vult intelligi ab hominibus et certo credi. Deum veracem esse, et doctrinam ab ipso per prophetas et apostolos traditam, veram et certam esse. Vult se omnipotentem, iustum, et veracem, deum attributione veritatis, a diabolis et hominibus vanis et mendacibus discerni. Quare propter deum et comunem generis humani salutem, toto pectore veritatem et simplicitatem in omnibus

doctrinae christianae partibus, in tota philosophia, in iudiciis, contractibus, amicitiiis, in sermonibus, moribus et gestibus, denique in tota vita amate, et constanter amplectimini et retinete. Et mendacia omnia, seu omnes falsas opiniones in doctrina de deo, et artibus vitae necessariis, omnes calumnias forenses, clandestinas obtreccionem, convicia, vanitatem, perfidiam, dolos, iactantiam, simulationes, denique, omnes opiniones, sermones, et gestus non congruentes cum animo et rebus ipsis, et coniunctos cum studio fallendi, et aliis nocendi, velut diabolum ipsum, mendacii patrem fugite et execramini. Cumque deus velit bonam famam, seu verum testimonium aliorum hominum de virtute expeti, et magna cura retineri, et magistratibus mandaverit, ut virtutem honore afficiant et ornent: Vitia vero et turpitudinem morum, ignominia, carceribus, morte mulcent: non vult privatos sibi censoriam potestatem sumere, notandi infamia aliorum mores: multo minus homines bonos et innocentes fictis criminibus, sycophanticis calumniis, vel libellis famosis lacerari. Quorum authores instar latronum se occultantes aliorum famam et existimationem, quae singulis vita ipsa charior esse debet, iniuste laedere, et civitatum tranquillitatem turbare conantur. Hos igitur depræhensos, infami exclusionem ex tota academiae nostrae societate eiiciemus.

Nona lex

Etsi politicis legibus impiae cogitationes, et iudicia mentium humanarum, et vitiosae inclinationes et cupiditates, et affectuum incendia in corde adversus legem dei aestuantia non puniuntur, nisi molitio et conatus sceleris externo facto perpetrandi accedat: tamen nobis in ecclesia dei scitote severissima dei voce præcipi, ut caliginem et errores ac impietatem mentium nostrarum, et omnium appetitionum et affectuum a lege dei aberrantium ataxian et confusiones agnoscamus et emandemus, ac ut Paulus loquitur, spiritu dei mortificemus. Quare dei voluntatem esse sciatis, ut non modo externis factis leges propositas non violetis: verum etiam caliginem, et dubitationes mentium vestrarum, et securitatem negligentem iram et iudicium dei, diffidentiam, et trepidationes in aerumnis, superbiam amorem opum, potentiae, gloriae, voluptatum maiorem quam ipsius dei: denique omnes viciosas inclinationes, et cupiditates antecellentiae, honorum, opum vindictae etc., quae fontes sunt omnium externorum scelerum, reprimere et comescere studeatis.

Decima lex

Postremo, cum ordo sapientiae et iustitiae divinae aeternus et immutabilis sit, ut hominum mentes, consilia et actiones huic normae voluntatis divinae in decalogo expressae, similes et conformes sint: rursum vos propter deum et comunem scholae nostrae salute et tranquillitatem

monemus et obtestanmur, ut studia et mores vestros ad normam legum decalogi, quas audivistis, diligenter dirigere et deum habitantem in coetibus docentium et discentium veram de Christo doctrinam, et pie ac modeste viventium, in hoc nostro coetu retinere: et poenas inobedientiae praesentes et aeternas effugere, et praemia ac gloriam pietati et diligentiae promissa, obtinere et assequi studeatis: Benefacta enim hominis custodit deus, ut annulum signatorium, et bona opera ut pupillam oculi, et tandem evigilabit, et unicuique reddet super caput suum, sicut promeruit.

Finis